

1431 is Joannes Grimaldus Genuensis, maritimarum rerum peritia apud suos ea tempestate clarissimus: quo monstrante, gubernatores aliquot lectissimosque Ligustici nominis sagittarios in naves Philippus imposuit. Auxerat & terrestres copias Picinini ex Hetruria reditus. Sed quantum Philippi rebus illius præsentia in Gallia addidit, tantum ejus absentia in Hetruria pene abstulit. Siquidem non multo post, quam inde profectus est, Albertus Cunii Comes, cui copiarum quæ in Hetruria ad bellum relictæ erant, demandatum fuerat imperium, ad Collem oppidum in insidias præcipitatus, mille & amplius equites amisit: venitque ob id in suspicionem, quia ad hostes transire destinasset, eam ultro cladem adire voluisse.

Sed dum hæc in Hetruria gerebantur, omnis interim belli moles in Gallia circa Cremonam incubuerat: ubi quum terra & aquis hostium opes omnino Venetis inferiores essent, cernerentque Picininus & Sforcia, nisi ars aliqua infirmis rebus adhiberetur, utrobique se Veneto impares futuros: ingenio suppleant, quod viribus deerat. Tumultuariis certaminibus, velut hostium vires sibi jam vilescescere cœpissent, circa castra Venetum sollicitare: & quasi navalis rei obliti, quo magis Veneti adverso flumine propinquare dicebantur, eo ferocius, alterutra laceffendo castra, instare. Noctu vero cum Grimaldo occulta colloquia habere, deque Padanæ pugnæ ratione consilia inire. Et jam constiterat inter eos, qua arte ad victoriam usuri essent, quando audax Ligur speculatorias Venetorum naves procul conspicatus, continuo in hostem solvit, ut illæ ad Trivisanum reversæ adventum suum nunciarent. Appulsa interim Cremonæ pomœrio classe, Picinum cum cataphractis militibus aqualiter in naves distributis, spei & animorum plenus accipit: sensim inde secundo fluvio in hostem delatus, ubi primum ab iis qui in caveis erant conspectus est, continuo ad arma conclamatum. Venetus, qui ad id ipsum paratus erat, confestim impelli remos, attrahique restibus suas naves edicit, ut, injecto certamine, cominus cum hoste confligeretur; quod Picininus

non